



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

32 lesse Obedi Filius. Clausula.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

Nisi canentium numeros innumeri gemitus fregissent.  
 Hunc bello finem imposuit  
 Nimis liberalis prædo, Sanctus Jephthes,  
 Pugnare doctior quam vovete.  
 At trepidæ Virgines, ne simili Patrum voto illigarentur,  
 Aram hanc immortalibus literis inscriptam  
 Annuo ejulatu circumlustrant.  
 Grajæ etiam Musæ, quia Virgines,  
 Pacti Invidiam  
 In Agamemnonem Coartaneum rejecerant.

J E S S E

OBEDI FILIUS.

CLAUSULA.

Agmen claudet invictissimus Isai ;  
 Ducum palmes, & Regum radix.  
 Avitam bellicæ præfecturæ virgam  
 Sudoribus ita rigavit,  
 Ut cadendis sceptris sylvesceret,  
 Bethlehem Patricius,  
 Patriam fecit Deo dignam,  
 Primævus in Philistinos gladium acuit,  
 Quos uti cotem virtutis reliquerat Deus.  
 Nam arma bello, milites pace franguntur ;  
 Et hoste mortuo, pugnant sodales,  
 Sacræ militiæ authoratus,  
 Pro Sanctuario Sanctus bellavit.  
 Quod vel amissum, in ejus pectore invenisses.  
 Miles fuit sine militum vitiis ;  
 Qui victoriæ Cupidi, à Cupidine victi,  
 Fœdiores referunt plagas quam inferant,  
 Emeritus, consilio pugnavit,  
 Utilius enim reguntur bella, quam geruntur,  
 Cum pro galea canicies est,  
 Ubi relis nil amplius valuit,  
 Filios pro telis in hostes misit,



Qui terginas manus Patri suffecere;  
 Et tricorporis instar Gerionis,  
 In triplici corpore, ter unus pugnavit,  
 Atque sedendo vicit.

Quæris quâ virtute natos habuerit ?  
 Nati minimus, Gigantum maximum vicit.

Quæris quâ specie?

Despectior, imperio dignus est visus,  
 Hæc tanta felicitas

Jesseum pectus impetu ingressa,  
 Animam expulit.

O Mortalium voluptas nocens;

Hæc cogita Viator:  
 Et sedens interjunge.

